



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentarii Tres in Universam Aristotelis Philosophiam

Commentarius Secundus In Octo Libros Physicorum Aristotelis

Crespin, François

Bruxellæ, 1652

VI. An totum distinguatur realiter à partibus & unione conjunctim sumptis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95369)

CVII. Obijcies tamen 1^o. ex P. Poncio: similia sunt per duas relationes, unam in uno, aliam in alio extremorum existentes, similia (& idem est de Relationibus Patris & Filii diversæ speciei); ergo etiam materia & forma sunt per duas uniones, unam in uno, aliam in alio extremorum existentes, unitæ.

CVIII. Respondeo negando consequentiam; est enim lata disparitas, quod uniones sint duæ entitates Physicæ, non verò relationes, sed duæ denominationes extrinsecæ, ab uno, vel diversis conceptibus, pro quo vide dicta in Logica Disp. de Relatione: deinde causa & effectus dicunt etiam duas Relationes extrinsecas; non tamen duas entitates Physicas actionis & passionis, in quibus fundantur, realiter distinctas; sed unam indivisibilem Physicæ, ut supra monuimus; ergo similiter, licet extrema dicant duas relationes, uniti scilicet subjecti ad terminum, & uniti termini ad subjectum; non tamen dicunt duas entitates Physicas unionis, in quibus fundentur, realiter distinctas; sed una indivisibilis Physicæ sufficit. aliter ad hoc argumentum.

Respondet P. Arriaga, videlicet, dato quod relatio sit realiter distincta antè intellectum à fundamento & termino, duo similia secundum exigentiam naturalem penetrata referri unâ relatione; loco dūta, duplici, quia idem non potest simul esse in pluribus locis adæquatis; verum hæc solutio non placet, 1^o. quia cū relatio fundamenti eodem modo sit ad terminum dissitum (ut patet,) quo unio subjecti ad terminum penetratum, unica esse poterit ad terminum dissitum, si unica esse possit ad penetratum: 2^o. penetratio non est relatio similitudinis, ergo non potest supplere effectum formalem relationis similitudinis alterius extremi, quod facere deberet, ut patebit consideranti: deinde respondebit P. Poncius duas relationes non ideo esse necessarias, quia fundamentum & terminus sunt in diversis locis, sed quia non est ratio, cur in uno potius sit illa unica relatio, quàm in alio; ad quod non extenditur solutio Arriagæ.

CIX. Obijcies 2^o. unica unio subjectari non potest in utroque extremo; sed id est necessarium, ergo, &c. Probatur minor, quia utrumque extremum debet per unionem intrinsecè perici, ergo, &c.

CX. Respondeo, transeat major, nego minorem, ad ejus probationem, admissio antecedente, nego consequentiam; nam materia per creationem suam & animam rationalem, & humanitas per personalitatem Verbi, intrinsecè perficiuntur, licet in ipsis non subjectentur; ad hoc enim ut unum ab alio perficiatur, non est necessaria sustentatio, sed sufficit intima adhæsiō, quæ nihil aliud est, quàm unio ad alterum non sustentans, sive quod non sit subjectum sustentationis: nec refert, quod hunc conceptum tradamus per negationem, quia notitiam intimæ adhæsiōis; & voces sufficientes non habemus, quibus illam per positivum conceptum exprimamus: unde ad probationem minoris, concedo antecedens intellectum de utroque extremo perfectibili; nam unio hypostatica, intrinsecè quidem utrumque extremum afficit, non tamen Verbum perficit; quia cū sit infinitè perfectum, non est ulterius perfectibile.

CXI. Dixi transeat; quia sicut potest (ex dicendis infra) idem effectus pendere à duabus causis totalibus totalitate effectus; ita eadem forma in

duobus subjectis totalibus totalitate formæ subjectari potest.

D V B I V M V.

In quo extremorum subjectetur unio.

R E S O L U T I O.

CXII. **D**ico unio, sive generatio sine termino genito realiter à se distincto, siveeductio formæ, subjectatur in materia sola. ita P. R. ubi libro 20. Phyl. q. 6. Murcia, Comptonus, &c. contra PP. Suarez, Scotum, Richardum, Henricum, Complut. nostros, Ioan. à S. Thoma, &c.

CXIII. Probatur, quia, ut dubio præcedenti diximus, istæ actiones sunt essentialiter in materia; & est Aristotelis 1^o. de generatione textu 24^o. ubi dicit non formari, sed materiam esse subjectum generationis, ergo, &c.

CXIV. Obijcies: in homine non est ratio, cur potius unio, ac per consequens generatio, sit materialis, quàm spiritualis; sed si spiritualis, non potest subjectari in materia, ergo, &c. Probatur major, quia sicut anima rationalis incorporea & spiritualis, potest uniri per unionem corpoream & materialem subjectatam in materia; ita materia corporea & materialis, potest uniri per unionem incorpoream & spiritualement subjectatam in anima rationali, ergo, &c.

CXV. Respondeo negando majorem, & assigno majorem rationem (contra Suarem Metaphysicæ Disputatione 15^a. sectione 3^a. num. 11^o. & alios, quos citavimus dubio 2^o. Resolutione 1^a) quod illa generatio, siveeductio, sit materialis, ac proinde debeat esse subjectata in materia, 1^o. quia cū parentes non videantur producere posse per instrumentum corporeum, uti est semen, aliquid purè spirituale, qualis alioqui esset, non apparet quomodo homo hominem generaret: 2^o. quia est loco unionis non actionis, quæ cum subjectari deberet in utroque extremo, quia non est potior ratio, cur subjectetur in uno, quàm in alio (ut dubio præcedenti vidimus) & alterum sit materiale, esset materialis, quia materiale est malum respectu spiritualis, & spirituale bonum; malum verò ex quolibet defectu, bonum ex integra causa; unde materialis unio, ubi partiale tantum subjectum materiale; spiritualis tantum, ubi est integrum & totale subjectum spirituale; nisi localiter extensa haberet partes extra partes, juxta dicta in Logica Disp. 2. de quantum. 100. quæ patent ex communi modo loquendi de homine; ille enim ab omnibus simpliciter dicitur materialis, quia inadæquatè materia; & à nemine simpliciter spiritualis, quia non est adæquatè spiritus. Hinc

CXVI. Colliges spirituale negare concomitantem omnem dependentiam à subjecto materiali, non autem materiale omnem dependentiam ab omni subjecto spirituali.

D V B I V M VI.

An totum distinguatur realiter à partibus & unione conjunctim sumptis.

CXVII. **D**ixi à partibus & unione conjunctim sumptis, & non à partibus unitis simul sumptis (in quo plerique falluntur; quia cum veritas prædicationis sumatur penes identitatem rectorum, & unitum

unitum importet unionem in obliquo; certum est totum distingui realiter à partibus unitis simul sumptis, non secus ac materia & forma simul sumpta ab unione; liquidem huius propositionis, *Totum est sua partes unita simul sumpta*, est hic sensus, *Totum est materia & forma simul sumpta habentes unionem*, quæ est aperte falsa, cum totum sit in recto æquè unio, ac duæ partes: aliqui si sufficeret importari in obliquo, non apparet, cur hæ propositiones non essent veræ, *Totum est unio uniens materiam & formam; totum est materia unita formæ; totum est forma unita materiæ*, quas nullus admiserit. Hoc præmissis, sit

RESOLUTIO I.

CXXVIII. **D**ico 1º, contra Scotistas communiter, quos sequuntur Capreolus, Ferrarius, Hervæus, Fonseca, Henricus, Cajetanus, Conimbricenses, &c. totum non est entitas ante animam à partibus & unione conjunctim sumptis realiter distincta. Ita S. Thom. 1. p. q. 11. art. 2º ad 2º. & 4º contra gentes q. 81. quem sequuntur PP. Complut. & P. Ioan. à S. Thom. qui hic q. 6. dicit procul Dub. videri Sancti Thomæ, quem sequuntur Durandus in 3. Dist. 2ª. q. 2. Palud. in 3. Dist. 1ª. q. 1ª. Rodens. lib. 12. Phys. cap. 3º. q. 1ª. Tolet. lib. 1º. Phys. q. 6. Suarez Disp. 36. Sect. 5ª. Hurtad. Rub. Arriaga, Oviedus, Comptonus, Murcia, &c.

CXXIX. Probatur 1º, ex celebri dicto Varronis, quod Augustinus 9º de civitate Dei cap. 3º. commendat, & refert Divus Thomas 1ª. parte quæst. 75ª. articulo 4º, *Homo neque est anima, neque corpus, sed utrumque simul*, puta simulate unionis, ergo, &c.

CXX. Probatur 2º ratione, si totum sit entitas ante animam à partibus & unione conjunctim sumptis realiter distincta, vel ante animam distinguitur totaliter & adæquatè ab illis, vel partialiter & inadæquatè, ut eas ante animam includens, & insuper aliquid aliud; sed neutrum admitti potest, ergo, &c.

CXXI. Probatur minor pro prima parte; non primum; 1º quia sic totum, compositum esset, & non esset; esset ut supponitur: non esset, quia vel ipsum ab illis, vel ille ab ipso (saltem divinitus) separari possent, aut saltem eas in suo conceptu formalis, sive essentiali Physico, non magis includeret, quam Pater in Divinis Filium, Filius Patrem, &c. qui propterea se mutuo non component, ergo, &c.

CXXII. Respondebis totum esse entitatem ante animam à suis partibus & unione, &c. realiter adæquatè distinctam: & ad hanc primam probationem minoris Respondebis cum P. Poncio Physic. Disp. 6ª, quod esset compositum; quia ad suas partes se haberet, ut includens ad inclusum: nec posset (etiam divinitus) realiter à suis partibus, &c. separari; quia ad illas ut sic, se haberet eo modo, quo se habet effectus ad agens ut agens formaliter. Sed

CXXIII. Contra 1º, non dicitur quomodo erit compositum; cum eas in suo conceptu formali, sive essentiali Physico, non magis includeret, quam Pater in Divinis Filium, aut è contra, qui ideo se mutuo non component; igitur id prius dicendum.

CXXIV. Contra 2º, transeat quod à suis partibus, &c. non posset (etiam divinitus) realiter separari; hoc tamen non convincit ipsum ad eas se habere, ut includens ad inclusum, ut patet ex Personis Divinis.

R. P. Francisci Bona Spei Physica

CXXV. Contra 3º, falsum est totum se habere ad partes, &c. eo modo, quo effectus se habet ad agens ut agens formaliter: 1º quia præterquàm quodd sequatur contra præfatum Authorem, partes non esse de intrinseco Physico formali conceptu totius, magis quàm agens ut agens formaliter sit de intrinseco Physico conceptu formali effectus; posito præcisè agente ut agente formaliter, non habetur effectus, magis quàm positis præcisè causâ & actione, sed deest aliqua entitas Physica existens ante animam; positis verò partibus & unione, ad totum nulla deest entitas Physica existens ante animam: 2º, agens ut agens formaliter, nec ante, nec post animam, quidquam est effectus; partes verò & unio sunt partes intrinsecæ totius secundum ipsum.

CXXVI. Contra 4º, vel entitas totius ante animam à partibus & unione conjunctim sumptis realiter distincta, per illarum productionem producitur, vel ab illis & Deo, vel à Deo solo, per aliam productionem: non ultimum; quia ad Deum recurrere pro effectibus naturalibus, non est Philosophicum: deinde sic posset Deus totum illud non producere, ac proinde partes & unio existere possent, non existente toto, quod negat: non etiam penultimum; quia cum nihil producat, nisi per productionem suorum intrinsecorum, & secundum præfatum Authorem partes sint intrinsecæ toti, partes producerent seipsas, quod intelligi non potest: deinde non est cur Deus talem productionem impedire non posset (ac proinde possent, ut dictum est, partes & unio existere, non existente toto: non denique primum, quia sic totum deberet successivè produci per partes, sicut partes successivè producuntur, ac proinde ad productionem materiæ produceretur una pars totius, ad productionem formæ alia, & ad productionem unionis, 3ª; quæ tres partes, vel facerent totum realiter à se distinctum, quod per productionem illarum produceretur, vel non? si primum, illud totum deberet etiam produci successivè per partes, ut ante, & sic in infinitum: si secundum, ergo neque tres primæ partes habent totum ante animam realiter à se distinctum: Ex his infero, ergo debet esse improductum; nihil autem datur improductum præter Deum, ergo, &c.

CXXVII. Probatur minor pro prima parte 2º, partes & unio sunt partes formaliter ipsius, ante, vel post animam tantum: si post animam tantum, ergo ante animam illa entitas est totum sine partibus: si ante animam, sunt illius partes ut supponitur; & non sunt; quia de ratione partium ante animam, est esse ante animam aliquid totius, quod non esset, quia dicitur totum esse ab illis realiter adæquatè distinctum.

CXXVIII. Respondebis cum eodem esse partes ante animam, & de ratione partis ante animam non esse, esse formaliter aliquid totius, sed causaliter tantum, quomodo essent aliquid totius. Sed

CXXIX. Contra: præterquam quod pars formaliter & totum formaliter sint correlativa, debes necessariò sumere ly *causaliter*, vel in genere causæ efficientis, vel in genere causæ materialis, vel in genere causæ formalis, quia illæ solæ causæ causant realiter, & ante animam: sed in nullo istorum genere fieri potest, ergo, &c. Probatur minor, quia neque causa efficiens est pars intrinseca ejus, quod efficiens causat, ut Deus creaturæ, Pater filii: neque etiam materialis, est pars, &c. ut materia respectu formæ: neque etiam formalis est pars, &c. ut forma

G

ma

ma respectu materiae, & aliunde cum nihil producat, ut dictum est, nisi per productionem suorum intrinsicorum, idem produceret seipsum. Adde quod aliqui nihil daretur simplex præter Deum, quia nihil est, quod à causa efficiente non causetur, & major pars entium, etiam à causa materiali, vel formali causetur.

CXXX. Probatur minor pro prima parte 3^o, vel illa entitas totius existens ante animam uniretur suis partibus, &c. vel non? si 1^{um}; ex ipsa & partibus ac unione inter illas, sequeretur aliud totum per se substantiale, non secus ac ipsa entitas totius per se ex illis sequitur, vel non? si sequeretur, de illo idem quæram, & sic in infinitum: si non sequeretur, quare primum ex illis partibus per te sequitur? non enim est major ratio huius, quam illius: Adde tamen quod quodcumque sequeretur, non faceret unum per se substantiale; quia adveniret completo enti in actu, videlicet materiae per formam actuatae ut actuatae, ut consideranti patebit; sed per accidens: si 2^{um}; ergo partes, unio inter illas & ipsum non facient nisi aggregatum per accidens, ut est cumulus lapidum, quod ipsi non admittent, quia totum ut sic non poneretur in Prædicamento.

CXXXI. Respondebis cum eodem 1^o, totum non propriè uniendum suis partibus; quia illa propriè tantum uniantur, quorum unum in alio non includitur: 2^o, admissio quod uniat, non sequi aliud totum; quia sicut ad unionem non sequitur unio; ita ad totum non sequitur totum. Sed

CXXXII. Contra 1^{um} est, quod (præterquam quod non appareat, quomodo includantur partes in toto) sic partes, unio inter partes & totum faciant aggregatum per accidens, quod negat: Contra 2^{um} verò etiam est, quod licet ad unionem non sequatur unio, ad totum tamen à partibus, &c. realiter distinctum, necessariò sequitur totum; quia totum, quod præcedit, non habet in se formaliter omne id, quod in se formaliter habet totum, quod sequitur, sicut prima unio habet in se formaliter omne id, quod secunda habet in se formaliter, excepta scilicet hæcitate; sed totum hoc plus, illud totum formaliter, minus includit; nihil autem accipit ab alio, quod habet in se formaliter, licet quod in se formaliter non habet ab alio rectè accipiat.

CXXXIII. Probatur minor pro prima parte 4^o, definitum Metaphysicum non est entitas post animam adæquatè distincta à sua definitione Metaphysica; ergo nec definitum Physicum est entitas ante animam adæquatè distincta à sua definitione Physica, sive partibus & unione conjunctim sumptis.

CXXXIV. Respondebis iterum ex eodem, esse disparitatem, in eo videlicet, quod in definitione Metaphysica, partes ponantur directè, sive in recto, & nihil præter ipsas; ut homo est animal rationale: in Physica verò indirectè, sive in obliquo, & aliquid præter ipsas, ut homo est aliquid constans corpore & animâ rationali unitis, non verò est corpus & anima rationalis unita. Sed

CXXXV. Contra, in definitione, sive Metaphysica, sive Physica attendi non debet, neque potest, sensus formalis & affirmativus; quia (ut ostendimus in Logica) nulla definitio ut definitio prædicatur in sensu formali & affirmativo de suo definito, sed

in sensu materiali & identico tantum: unde cum quæritur, an totum, homo v. g. sit aliquid ante animam à suis partibus & unione realiter distinctum, sensus est, an in sensu materiali & identico homo, suæ partes ac unio, sint idem realiter ante animam. Adde quod sit id ipsum, quod quæritur, an in definitione Physica debeat aliquid poni præter partes & unionem, magis quàm in definitione Metaphysica, in qua præter genus & differentiam nil ponitur.

CXXXVI. Probatur minor probationis Resolutionis à ratione pro secunda parte: non 2^{um}; quia illud aliud, quod totum includens cæteras partes, insuper diceret, esset vel ut quarta pars compositi, vel tota essentia compositi? non hoc 2^{um}; quia illud est supra fuscè impugnatum: neque etiam 1^{um}; quia (præterquam quod in homine, præter duas partes & unionem, daretur tertia pars, contra omnes) sicut ex duabus partibus & unione exurgeret tertia pars; ita ex tertia & unione exurgeret quarta, & sic in infinitum; quod est absurdum, ergo, &c.

CXXXVII. Obijcies 1^o, ex Aristotele 4^o Physicæ Textu 23^o. totum est in partibus: 2^o, de Anima Textu 22^o, dividitur substantia corporea in tria membra, materiam scilicet, formam & totum compositum: 3^o. Metaph. 3^o. cap. 17^o. Syllaba BA, non est B. & A. 4^o. ejusdem 5^o. cap. 14^o. sex non est bis tria, sed semel sex: 5^o. ejusdem 8^o. cap. 6^o. ait, quod non est totum per coacervationem, est aliquid præter partes: sed hæc forent falsa, nisi totum esset entitas ante animam à suis partibus & unione conjunctim sumptis realiter distincta, ergo, &c.

CXXXVIII. Respondeo 1^o, generaliter ad Aristotelem ibi & alibi satisfieri, si dicatur 1^o ipsum, ad totum præter partes requirere unionem unificam per se: 2^o, si dicatur, ipsum agere de toto formaliter, quod est conceptus partium per modum unius (ut infra dicemus) qui quidem est realiter distinctus à partibus & unione, non tamen ante animam, ut contendunt Adversarii.

CXXXIX. Respondeo 2^o, specialiter ad singula: ad 1^{um} itaque, locutio est intransitiva, & sensus est, totum est realiter & identicè ante animam suæ partes, puta comprehensâ unione; non enim vult totum esse in partibus tamquam subiecto, sed vel tamquam obiecto, vel per identitatem negativam intrinsicam ante animam, quasi nihil sit ipsis intrinsicum realiter ab illis distinctum.

CXL. Ad 2^{um}, rectè dividit substantiam corpoream in materiam, formam & compositum; quia hoc, præter materiam & formam dicit unionem.

CXLI. Ad 3^{um}, solum vult syllabam BA non esse B. & A. seorsim & inordinatè, quia sic faciunt A. B. & tam AB, quàm B. A. sed conjunctim & cum recto ordine, qui ordo est quædam supra partes unio.

CXLII. Ad 4^{um}, vult sex non esse bis tria seorsim, & diversis conceptibus concepta, sed uno conceptu, qui etiam est quædam supra partes unio, saltem extrinseca.

CXLIII. Ad 5^{um}, solum vult, totum per se præter partes includere unionem unificam per se, id est, conjungentem partes incompletas ejusdem Prædicamenti per modum potentiae & actus; non verò totum per coacervationem, sed politicam tantum

tum approximationis partium, eo modo, quo mul-
ti lapides faciunt cumulum; cohabitationis, eo mo-
do, quo multi cives faciunt unam civitatem, &c.

RESOLUTIO II.

CXLIV. **D**ico 2^o, contra Nominales, Suarem,
Hurtadum, Arriagam, Oviedum,
Telles, & omnes Thomistas: totum formaliter est
totaliter extrinsecum suis partibus & unioni con-
iunctim sumptis; ab eisque realiter distinctum. Pu-
to revera esse debere omnium, qui negant univer-
sale formaliter à parte rei, & illud concedunt post
intellectum.

CXLV. Probatur 1^o, partes & unio seorsim &
distributive sunt causa compositi; ergo composi-
tum distinguitur realiter adæquatè ab illis: proba-
tur consequentia à pari ex omnibus aliis causis, ef-
ficiente, materiali, formali & intentionali: antece-
dens admittitur ab omnibus Adversariis.

CXLVI. Respondebis 1^o, cum P. Hurtado, ne-
gando causas intrinsecas, ut sunt partes, verè causa-
re suum effectum, & dices esse partes intrinsecas,
ex quibus constituitur. Sed

CXLVII. Contra 1^o, per te totum nihil est extrin-
secum partibus ab eis realiter distinctum; ergo
causa intrinseca non potest esse causa per modum
partis intrinsecæ, nisi respectu alicujus, partium
aut unionis.

CXLVIII. Subsumo; sed materia non est pars
intrinseca formæ, vel unionis, vel suiipsius, autè
contra; nec præter ista tria quidquam in toto com-
posito agnoscis; ergo per te debent causæ intrinse-
cæ aliter causare suum effectum, quàm per modum
partis intrinsecæ.

CXLIX. Contra 2^o, supponis falsum, videlicet, dari
causam intrinsecam per modum partis intrinsecæ;
nam vel illa deberet esse pars intrinseca totius rea-
liter adæquatè, vel inadæquatè à se & altera parte
ac unionem distincti (quod non admittis, & supra
fusi contra Scotistas rejectum est;) vel suæ com-
partis, vel unionis, vel suiipsius, quod minus admit-
tis; aliud tamen non suppetit, cuius sit pars intrin-
seca, ergo, &c.

CL. Respondebis 2^o, ex P. Oviedo, causas in-
trinsecas causare componendo, & conceptum
causæ intrinsecæ esse conceptum partis potentis
componere. Sed

CLI. Contra 1^o, per te etiam, totum nihil est
extrinsecum partibus ab eis realiter distin-
ctum; ergo causæ intrinsecæ non possunt causare
componendo, nisi aliquam partem aut unionem
componant.

CLII. Subsumo; sed materia v.g. nec seipsam, nec
formam, nec unionem, & è contrà nec forma, &c.
causat componendo per modum partis intrinsecæ;
nec præter ista quidpiam in toto composito agnos-
cis; ergo per te causæ intrinsecæ, debent aliter cau-
sare suum effectum, quàm componendo per mo-
dum partis intrinsecæ.

CLIII. Contra 2^o, etiam supponis falsum, vide-
licet dari causas intrinsecas per modum partis in-
trinsecæ, ut satis ante probatum est.

CLIV. Probatur 2^o, omni effectui assignari de-
bet causa proportionata adæquata; sed omnis effe-
ctus distinguitur realiter adæquatè à sua causa adæ-
quata; ergo & totum compositum à materia, for-
ma & unione, quæ sunt causa adæquata ipsius.

CLV. Respondebis cum P. Oviedo negando ma-
jorem; quia datur effectus causæ intrinsecæ; causa
tamen intrinseca repugnat (inquies) cum causa to-
tali & adæquata, quia de illius conceptu est com-
ponere; causa autem adæquata non componit, sed
ponit, & sola pars connotando compartem compo-
nit. Sed

CLVI. Contra 1^o, præterquam quòd P. Ovie-
dus iterum supponat falsum, scilicet dari causam
intrinsecam per modum partis intrinsecæ; tua
ratio probat totum distingui realiter à suis parti-
bus, & unione conjunctim sumptis; quod sic o-
stendo, causa intrinseca, sive pars, non compo-
nit seipsam, nec suam compartem, nec unio-
nem, ergo totum realiter ab illis, &c. distinctum;
quia alioqui nihil componeret per modum partis
intrinsecæ.

CLVII. Nec dicas componere seipsam; quia
(præterquam quòd sic pars esset compositum &
totum, quod nullus admittit) componere, est
esse partem intrinsecam secundum te; pars ve-
rò non est pars intrinseca suiipsius, etiam collecti-
vè sumptæ cum aliis; quia, cum omnes partes
collectivè sumptæ ante animam sint ipsum totum
& compositum, deberet necessariò esse pars in-
trinseca alicujus partis totius, quæ non est, ut toties
diximus.

CLVIII. Contra 2^o, si detur causa intrinseca
inadæquata, quidni daretur causa intrinseca adæ-
quata? & sicut partes & unio seorsim & distribu-
tive sumptæ, sunt omnes causæ intrinsecæ in-
adæquatæ compositi secundum te, quidni con-
junctim & collectivè sumptæ, essent causa intrin-
seca adæquata compositi? si enim implicet causa
adæquata, implicat inadæquata; sicut si impli-
cet totum, implicat pars; quia causa adæqua-
ta & inadæquata sunt correlativa, sicut totum
& pars.

CLIX. Objicies, positis partibus & unione in-
ter illas, secluso quovis alio realiter distincto, intel-
ligitur totum, sive compositum, ergo, &c. Probatur
antecedens, quia cum componere nihil sit aliud,
quàm partes simul ponere; esse compositum, nihil
est aliud, quàm partes esse simul positas; atqui, posi-
tis partibus & unione inter illas, partes sunt simul
positæ, ergo, &c.

CLX. Confirmatur, Compositum à partibus &
unione distinguitur realiter adæquatè, vel inadæ-
quatè? non adæquatè; quia sic non essent ejus par-
tes, cum pars necessariò sit pars rei cuius est pars:
non etiam inadæquatè; quia sic compositum ali-
quid includeret præter duas partes & unionem,
cum quo faceret aliud totum, quod aliud include-
ret præter illud, partes & unionem, cum quo iterum
faceret aliud totum, & sic in infinitum; sed hoc est
absurdum, ergo, &c.

CLXI. Respondeo distinguendo antecedens, po-
sitis, &c. intelligitur totum, sive compositum fun-
damentaliter, seu materialiter, prout ly *totum*
significat entitatem realem totius esse subjectum
denominationis totius formaliter sumpti, conce-
do antecedens; sed ut sic est actu tria, materia,
forma & unio; potentià tantum unum totum, &
non actu unum totum formaliter, magis quam po-
sitis entitatibus Patris, generationis & filii est unus
pater formaliter, sed potentià tantum, de quo in
Logicà agentes de Relatione: formaliter & prout
ly *totum* formaliter exprimitur nomine totius, ne-

go antecedens; nam fundatur, ut sic, in conceptu colligente omnes partes, & unionem, sive potius representante ista tria per modum unius; alioqui deberet ista ratio totius ad illa tria posita, modo quodam omnino intelligibili, ante intellectum resultare: deinde totum formaliter importat distinctionem rationis à suis partibus & unionem, ut sunt ante animam seu intellectum, quæ sicut esse non potest nullà animà, seu intellectu, cogitante, ita nec totum formaliter, de quo clarius Resol. 3^a.

Ad Confirmationem

CLXII. Respondeo totum, sive compositum, à partibus & unionem distinguere realiter adæquatè extrinsecè, non secus ac ratio à quocumque fundamento & termino; quia sicut hæc in conceptu, ita hoc in conceptu dicto fundatur, quo præcisè posito exurgit, sicut identificabilitas, universalisabilitas, &c. posito præcisè conceptu universalisante: ad probationem verò in contrarium, Respondeo fore ejus partes extrinsecè essentielles, eo modo, quo fundamentum & terminus, sunt partes extrinsecè essentielles relationis; nec possunt esse intrinsecè; quia causa intrinseca repugnat, ut vidimus; unde nullum totum formaliter constabit partibus intrinsecis; imò nec totum fundamentaliter dici debet constare partibus fundamentalibus intrinsecè; quia illud est ipsæ partes, & non aliud, quæ sibi invicem non sunt intrinsecæ partes, ut vidimus; unde homo ut totum formaliter (& sic de aliis) est aliquid realiter distinctum à materia, anima rationali & unionem; nec datur ut sic ante intellectum; secus fundamentaliter, & ut est materia, anima rationalis & unio, quomodo non est conflatum ex partibus intrinsecis; imò neque aggregatum per accidens est ante vel post intellectum conflatum ex duabus partibus intrinsecis; non ante, quia ut sic nihil aliud est quàm cumulus lapidum v. g. quàm iste & iste lapis, &c. iste autem lapis, neque est pars intrinseca istius, neque superius: non etiam post, ut patet.

RESOLUTIO III.

CLXIII. Dico 3^o, totum formaliter est formalitas realiter & objectivè identificata rationi formali ipsam fundandi: (quæ est conceptus statim allatus) ab eaque solà ratione formali distinctus; hæc Resolutio sequitur ex præcedenti.

CLXIV. Probatur 1^a & 2^a Pars Resolutionis clare ex dictis in Logica de Relatione, & distinctione objectiva: 3^a Pars verò probatur 1^o ex refutatione aliarum sententiarum: 2^o, quia eodem modo se habet totum ad dictum conceptum, sicut se habet ratio ad suam rationem formalem fundandi; quantitas in nostra sententia ad materiam; potentia animæ ad animam (si ab illa realiter distinguuntur); sed illa ab illis solà ratione formali distinguuntur, ergo, &c. minor patet, quia non nisi est aliud conceptus formalis relationis, quantitatis & potentiarum; alius fundamenti & termini, materiæ & animæ, &c. ut ostendimus in Logica, de Relatione Dub. 4^o. Resolut. 3^a. ergo, &c.

CLXV. Confirmatur, partes & unio sunt tria ante intellectum, totum formaliter est unum; sed totum non est unum formaliter ante intellectum & animam, ut primà Resolutione vidimus; ergo post intellectum & animam, ac per consequens totum

formaliter distinguitur realiter ab illis tribus, non secus ac ipse actus intellectus & animæ, ab illis tribus distinguatur. Ex his

CLXVI. Colliges 1^o, hanc propositionem, *Materia, Forma & Unio, sunt totum formaliter*, non magis esse veram, quàm sit hæc, *Petrus & Paulus sunt universale formaliter*; sed sicut hæc dumtaxat, *Petrus, Paulus, &c. confusè concepti per modum unius sunt universale formaliter*, est vera; ita hæc dumtaxat, *Materia, Forma, Unio confusè conceptæ per modum unius collecti, sunt totum formaliter*. 2^o, ante animam non dari concretum formaliter, ut v. g. album, unitum, &c. prout ly album, unitum, &c. dicit esse aliquid unum formaliter distinctum à subjecto & forma ac unionem, sed objectivè tantum, prout est objectivè subjectum, forma & unio, & sic de aliis.

D V B I V M V I I.

An Accidentia materialia subjectentur in toto composito.

Ante Resolutionem
CLXVII. Suppono, posse quidem accidens corporeum pendere à solo spiritu, & consequenter ens purè spirituale à materia, quia, ut in Logica Disp. de quantitate insinuavimus, corporeum est, quod extensum localiter habet multas partes; spirituale verò, quod localiter extensum non habet multas partes: de quibus specialius in Tractatu de Angelis, ubi ostendimus, ubi Angelicum esse corporeum: nihilominus accidentia, quæ naturam sequuntur, sic ut desinente formà remaneant, videntur à sola materia pendere, sicut & quæ spiritum sequuntur, sic ut remotà materià remaneant, à solo spiritu; quia alioqui deberent de subjecto, saltem inadæquato naturaliter migrare, quod inconveniens est; quia si accidens migrare posset de subjecto inadæquato in aliud inadæquatum, esset indifferens ad esse in hoc vel illo subjecto inadæquato, & ipsi perinde esset habere hoc vel illud subjectum inadæquatum; imò & habere hoc vel illud adæquatum, consequenter; quod inconveniens est. Hoc autem supposito, sit

RESOLUTIO.

CLXVIII. Dico, accidentia, quæ modo jam dicto materiam sequuntur, in sola materia immediate, si potentia receptiva ei propria; vel mediante hac potentia, si accidentia communia & non propria, recipiuntur, & non in toto composito. Ita Averroës lib. de subst. Orbis; Simplic. 1^o. Phys. Textu 69. Philop. lib. 1^o. de generat. Ammonius de præd. quantitatis, Gregor. in 2^{um}. Dist. 12. q. 2. art. 1^o. noster Bacho in 2^{um}. Dist. 18. art. 4^o. Marfil. Aureolus, Venerus, Ægidius, Nymphus, Suarez & alii è Societate post Scotistas communius: contra Durandum, Flandriam, Capreolum, Hervæum, Cajetan. de ente & essentia cap. 7^o. q. 16. Ferraram 4^o. contra gentes cap. 81. Iavellum, Sotum, Soto, Bannez, Fonscram, nostros Complut. Ioan. à Sancto Thoma, & alios Thomistas Recentiores. Hæc conclusio mihi evidens est, supposito quòd accidentia naturaliter non migrent de subjecto adæquato, vel inadæquato, in aliud tale subjectum: sed de his iterum aliquid in libris de generatione, ubi quæremus, an in generatione fiat